

πόθεν ἔσχον τὴν ἀρχὴν, καὶ ὅπως συνέστησαν : „ De Politicis Legibus, unde ortum habuerunt, & quomodo constituta sunt.

ὁ δὲν δὲ οἶον, καὶ περὶ τῶν πολιτικῶν νόμων βραχέως διαλαβῆν, καὶ ὅθεν ἔσχον καὶ οὗτοι τὴν γένεσιν ὡς ἐρικτῶν, ἰσορῆσαι, ἐπειδὴ καὶ τῶν ἐνὶ τοῖς τῶν ἱερῶν κεφαλαίοις κανόνων, ὡς ἂν πᾶσι ἐπιπέρας, δεῖν ἀήδημεν προσαρμόσαι.  
 „ Nihil autem vetat, quominus & de Politicis Legibus  
 „ breviter disseramus, & unde ipsæ quoque ortum habuerunt, pro viribus describamus, si quidem, & earum nonnullas, Sacrorum Canonum capitibus tamquam auxiliares quasdam adnectere visum est, Cetera Latine tantum describam, ne Lectoribus tædio sim. Sic igitur Blaetares pergit.

(1) Imo in Olympiade sexta, ac deinceps.

„ Prima circiter Olympiade (1) quum mundus quater millesimum septingentesimum octavum annum peregisset, Romulus Romæ imperabat, post quem alii numero sex alter alteri succedebant: & annus cxxlvi. regnum iis emensus est. Urbe igitur regni more gubernata, Reges res politicas administrabant, proximam post Imperatorem potestatem exercentes, & quod iis visum est, Legis in Republica vires obtinebat.  
 „ Lex enim literis nondum mandata fuit. Circiter lxxviii. Olympiade Regno in Democratiam delapso, & Regibus e medio sublatis, & introducta Consulum præsentura, populus Romanus indefinita quadam Lege, vel consuetudine, ut melius dicam, usus est: prius autem, quam viginti transacti sunt anni, Populus decem eligentes viros, quorum præcipuus fuit Appius Claudius, divinas iis Leges committebant. Hi autem consuetudines, tamquam Romæ Leges sparsim jactas colligentes, & ex Athenis non paucas Græcarum Legum, quæ Soloni & Draconi jactanter acceptæ referuntur, & quas præterea Lycurgum habuisse patrem, & Minoem, & ejusmodi, fama fuit, attrahentes, duodecim ex iis libros componebant. Solon enim, ut & Lycurgus, antiquus erat. Etenim lxxv. Trojani excidii anno hic notus erat, Proca Sylvio Latinis imperante.